

Syllae eriperet, armis ab eo victus Minturnis in palude delituit. Inventus et in carcerem coniectus immis- 5
missum percussorem Gallum vultus auctoritate deter-
ruit acceptaque navicula in Africam traiecit, ubi diu
5 exulavit. Mox Cinnana dominatione revocatus ruptis 6
ergastulis exercitum fecit caesisque inimicis iniuriam
ultus septimo consulatu, ut quidam ferunt, voluntaria
morte decessit.

Gaius Marius filius viginti septem annorum con- 68
10 sulatum invasit, quem honorem tam immaturum mater
flevit. Hic patri saevitia similis curiam armatus ob- 2
sedit, inimicos trucidavit, quorum corpora in Tiberim
praecipitavit. In apparatu belli, quod contra Syllam 3
parabatur, apud Sacriportum vigiliis et labore defessus
15 sub divo requievit et absens victus fugae, non pugnae
interfuit. Praeneste confugit, ubi per Lucretium Afel- 4
lam obsessus temptata per cuniculum fuga, cum
omnia saepta intelligeret, iugulandum se Pontio Tele-
sino praebuit.

20 Lucius Cornelius Cinna flagitiosissimus rempu- 69
blicam summa crudelitate vastavit. Primo consulatu 2
legem de exulibus revocandis ferens ab Octavio col-
lega prohibitus et honore privatus urbe profugit
vocatisque ad pilleum servis adversarios vicit, Octa-
25 vium interfecit, Ianiculum occupavit. Iterum et tertio 3
consulem se ipse fecit. Quarto consulatu cum bellum 4
contra Syllam pararet, Anconae ob nimiam crudelita-
tem ab exercitu lapidibus occisus est.

Flavius Fimbria saevissimus, quippe Cinnae sa- 70
30 telles, Valerio Flacco consuli legatus in Asiam pro-
fectus, per simultatem dimissus corrupto exercitu du-